



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 50. in adolescentes vitæ prodigos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)





# PHILIPPICA L.

In adolescentes vitæ prodigos.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

*Ecce defunctus efferebat filius unicus Matris suæ.*

LUC. 7. v. 12.

§. I.  
Quatuor  
vitia acce-  
lerant a-  
dolescen-  
tibus mor-  
tem.

**N**Arrat Drexelius in Prodr. visa abs se in præcipua urbe Germaniæ duo sepulchra sibi contigua, senis unum, juvenis alterum, cum pari utriusque inscriptione, dispari tamen modo proferenda. Epitaphium enim senis habebat simpliciter: *Et mortuus est.* juvenis autem cum interrogatione: *Et mortuus est?* quoddam senex mortuus sit, quid mirum? quoddam juvenis formosus, robustus, optimè educatus, tam citò raptus sit, hoc enim verò admirationē movet. quamquam propter similitudinem funerum frequentiam cessare deberet admiratio; sicut enim plures pulli & vituli, quàm galli & boves occiduntur, ita & plures præ senibus juvenes efferuntur. edentulæ Morti delicata & friabilis, non vetula & dura caro præplacet. *Ecce defunctus efferebatur* pulcher in urbe pulchra (Naim enim *pulchrâ* significat) charus charæ matris filius, populi delictum, patriæ spes, adolescentiæ Flos, familiæ gemmula, Israëlitis ornamentum. Dignus certè commotione, cum ipsemet Salvator cor suum ad tenerimam commoveri passus sit commiserationem. Verùm non tam dolori indulgere, hodie statui, quàm æquo furori, cum videā tot etiamnum adolescē-

tes ad sepulchra efferri, & quidem vivos atq; spirantes. Barbarū profectò spectaculum vivos humari, sicut Imperator Zeno humatus est, sed quis effert tot juvenes humatque? nequissimi quatuor portitores. Quinam portitores hodierni adolescentis fuerint, exponit Divus Ambrosius, quatuor fuisse elementa. Ego pro quatuor elementis ostendam, quatuor vitia esse, quæ innumeros juvenes funerant, & ante diem mori compellunt. pro terra est gula, pro aqua est luxuria, pro aère est inobedientia, pro igne est iracundia. Iubeat bonus Iesus portitores tot sistere, & non habebimus tot funera, imò videbimus plurimos alioquin funerandos reviviscere.

Propter gulam protoparentum maledicta terra est, ut spinas, & tribulos progerminaret, noxias & lethales herbas proferret. propter gulam Adæ dictum est: in pulverem redibis; propter gulam infinita ubique sunt *sepulchra concupiscentiæ*. primus ergò portitor est Gula, seu intemperantia in cibis & potibus: *nunquid mactandi sumus, quoniam nos ipsos saginamus*, ait ingeniosè Chrysostomus homil. 54. ad pop. quod utinam sibi accinuissent Philisthæi à Samsonè oppressi Jud. 16. Balthasar à Cyro jugulatus Dan. 5. vitulatores hebræi Ex. 32. anti-  
quum

§. 2.  
Primum  
vitium est  
gulæ.



quum est, quod Hyppocrates Lib. 6. aphori. 13. repetit: plures occidit crapula, quàm gladius, quod confirmat Spiritus veritatis Eccl. 17. *propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Cur tot vituli, & pulli ad macella, & culinas rapiantur, gula facit, cur tot juvenes immaturæ morti victimentur, gula in causa est. Paucioribus morbis vexantur pecudes, quàm homines, quia temperantiores sunt. Perit Sodomia propter Saturitatem panis, ut exprobrat Eccl. 16. v. 49. Perit Jerusalem propter gulam, idcirco princeps coquorum Nabuzardan (ut habent Septuaginta) missus est 4. Reg. 25. ut muros destrueret, civitatem vastaret, & incenderet. *Muros Jerusalem princeps coquorum destruit,* ait Sanctus Gregorius lib. 30. moral. c. 26. *quia virtutes animæ gula, imò & vires corporis perdit. propter crapulam multi juvenes perierunt.* Alexander Macedo certamen helluonum inter juvenes instituit, potatum est alacriter, vicit Promachus, sed & ipse à morte victus, & post triduum elatus est, secuti illum sunt quadraginta & unus ex combibonibus, qui immaturâ morte paulò post extincti sunt. Ipse Alexander trigesimo secundo ætatis año, mense octavo sepulchrum invenit in cyatho, portitorem & Vespillonem in gula, *propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Eccl. 37. v. 34. Quantum placeat Deo talis parsimonia infirmuat Divus Hieronymus in reg. monach. parcus cibus & venter esuriens triduanis jejunijs præfertur. Hippocrates anno centesimo quadagesimo ætatis interrogatus, quàm medicinam prorogaret annos? respondit, *quia nunquam satur à mensa surrexi;* non jacerent tot in sepulchris juvenes, si ad epulas se-

dissent brevius, surrexissentque promptius & levius.

Alter portator Aqua seu luxuria: *effusus es ut aqua non crescas,* vetus est maledictio & quotidie renovatur. Diluvium aquarum excitavit luxuria: *non permanebit spiritus meus,* spiritus vitæ, *in homine, quia caro est,* hoc diluvium hodiè que mergit innumeros mortales, & ex aqua in ignes præcipitat. Communis medicorum sententia est, nihil æquè accelerare mortem, quàm venerem; non tot infantes in Nilo, non tot Ægyptij aquis hausti in rubro mari perière, quot exhaustis viribus propter libidinem temporalis æternæque vitæ naufragium fecerunt. Eamus per exempla, Her. & Onan, Gen. 46. Ophne, & Phinesis 1. Reg. 4. Amnò, & Salomon, 2. Reg. 13. Salomon anno ætatis quadagesimo nono vocatur senex, quia *depravatum est cor ejus,* decimo anno post expiravit, seculum facile victurus, si continenter egisset.

Portitor tertius aër est, & inobedientiam filiorum erga parentes significat. sicut enim aër vagus, & inconstans obedire nescit, ita ut miraculum sit, si cui Sancto obediat, similiter juvenus tanquam aër & ventus parere recusat, ita ut obediens per omnia filius prodigium hujus seculi vocari possit. Jacobum Hispaniarum infantem Philippi II. filium sanctissimè correxit beatus Aloysius Ephebus regius, decimum quartum ætatis annum agens, quòd Archidux ventis imperare præsumpisset; jam quatuordecim annorum adolescentes corrigent parentes. Sed corrigit illos vicissim aër, & respirare eos diu non finit. Absolonem cogitate cælum inter & terram pendulum, cujus exitium prævidens David fervari illum in vivis frustra postulavit 2. Reg. 18. *serve mibi puerum Absolon!* sci-

§. 3.  
Secundum vitium Luxuria.  
Gen. 49. v. 4.  
Gen. 6. v. 3.

§. 4.  
Tertium vitium inobedientia.



vit nimirum David, quòd sicut obedientibus filijs longævitas promissa est Exod. 20. ità inobedientibus præpropere mors interminata, quam evadere Absolon nequirit, sed cælum inter & terram medius hæsit; quia nec cælum illum tolerare, nec terra voluit, aëri ergò in supplicium est traditus, sed nec aër diu tulit: tumulandumque lapidibus reddidit, ut fieret executio legis latæ Deut. 21. à v. 18. ad 22. *qui patris aut matris imperiū & coërcitus obedire contempserit &c. lapidibus eum obruet populus civitatis, ut auferatis malum de medio vestri.* nè videlicet propter unam inobedientiam filij tota civitas à justo vindice puniatur. Subsannatorem matris ad corvos damnat Sapiens prov. 30. v. 17. *effodiant eum corvi de torrente.* cur corvi? & quidem corvi de torrente? quia corvi sunt ingratitude Symbolum, & vetulos suos parentes devorant corvi juniores. de torrente autem advocantur, quia sicut torrens repentè inundat, ità repentina inobedientes filios obruat calamitas.

Narrat Divus Bernardinus tom. 2. Dom. I. Quadrag. ex eo Stég. tom. 4. p. 534. nostrà ætate in Hispaniæ citerioris oppido non ità procul Valentià fuisse adolescentem, qui per parètum inobedientiam eò devenerat, ut anno decimo octavo propter publica latrocinia, & facinora in vincula coniectus & suspendio damnatus sit. Erat enim tum profus imberbis, pendenti verò jam atque exanimi subitò prorumpit barba spectante populo. Comæ capitis plenè senescunt. ut ætatem referret hominis nonagenarij. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrit Episcopus, omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat Deus, quid sibi hoc monstrum velit. Atque ecce tibi Epi-

scopus editiorem capiens tumulum ad omnes ait, voluisse Deum ostendere, quantum de vita ejus detrahat, qui de Parentum obedientia detraxerat, victurum etiam hunc Juvenem fuisse ad eam ætatem, quæ jam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientiâ detraxisset.

Alium quempiam ait Thomas, Cantipratanus lib. 12. Apum c. 14. in partibus Galliæ sub Philippo Rege nostris temporibus, fuisse cognovimus. hic ab ineunte ætate, pervicacissimæ vitæ fuit, ut illud quod de Ismaële scriptum est: manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum Gen. 16. in eo, ità videretur impletum, ut nè parentes proprios quiescere sustineret, sed ad amarissimum vitæ finem perduxerit. post quos & ipse, miserabiliter infirmatus, & in agone mortis positus, sumptis Sacramentis Ecclesiasticis subitò inter manus assistentium exclamans, exiit de lecto: surgite omnes, arma accipite, juvate me cõtra proprium patrem, quia omnium inimicorum meorum ductor factus est, & conatur me occidere. Et hoc dicens quasi contra ingredientem multitudinem ad ostium conabatur. nec mora cadens everis terribiliter oculis clamavit expirans: heu me! Pater meus modo validissimo lapide frontem meam, percutiens contrivit. hi autem, qui assistebant, neminem quidem videbant, sed quasi turbas se commimentium & ingredientium audiebant. Vide ergo, qui nec patrem proprium propitium habere poterat, quantis divinæ vindictæ animadversionibus dignus fuit. non tamen absolutè eum, qui ei apparuit, ejus patrem dixerim, sed quemcunq; fortè ex spiritibus, sive bonis, sive malis, cum dictum,

fit :



fit : armabit creaturam ad ultio-  
nem inimicorum contra insensa-  
tos Sap. 5. Hæc ad verbum Canti-  
pratanus, en ut antiqua lapidatio-  
nis lex contra inobedientes filios,  
renovetur, si que lapidatores de-  
sint homines, succedant dæmo-  
nes, & quidem in proprij specie,  
parentis, quasi patrem habeat dia-  
bolum, qui morigerum non vult,  
se præstare filium.

§. 5.  
Vici-  
um  
quartum  
iracundiæ.

Portitor ultimus iracundia  
adumbratur in igne. exedit enim  
hominem & incinerat. Stultum ju-  
venem interficit iracundia. Paduæ  
duo fratres ex nobilissima Lymi-  
næorum stirpe post cœnam unâ  
stellas ex solario specularantur,  
cùm alter inquit : precor mihi tot  
boves, quod conspicio stellas; cui  
alter itidem per jocum : utinam e-  
gò haberem tantum pratuum, quan-  
tum est cœlum, ubi tu pasceres bo-  
vestuos? in prato tuo subjungit  
primus. quid? ait secundus, tu in  
prato meo? quid si te non permit-  
terem? etiam, ait primus, te invito;  
itâ ex joco in serium, risus in iram,  
colloquium in jurgium degeneravit,  
ex verbis ad verbera ventum est,  
dum enim neuter vult cedere, ex-  
ertis utrinque pugionibus mutuâ  
se cæde confodiunt, semianimés-  
que reperti, & in conclave delati  
paulò post animam egerunt. Ecce  
defuncti, qui à Stellis sibi ignes ira-  
cundiæ ad semet incinerandos, non  
phœnices, sed infelices salaman-  
dræ, heu æternis quàm vereor in  
ignibus arfuri, succenderunt.

§. 6.  
Vicini-  
or  
morti est  
juventus  
quàm se-  
nectus, cur?

Sed quid portitoribus diu in-  
hæremus, ad primipilum funeris  
Ducem, cui nomen est *Peccatum*, &  
funeris comitem, cui nomen *Mors*,  
accedamus, ut immaturum tot ju-  
venum interitum accuratiùs inve-  
stigemus. Ingeniosè lusit recens  
Poëta, cur hodie mors citiùs appro-  
peret quàm olim, quia videlicet

Mors olim pedes, hodie verò eques  
progreditur. Equitem vidit Joanes  
Apoc. 6. v. 8. *ecce equus pallidus,*  
*& qui sedebat super eum, nomen illi*  
*Mors.* Tertullianus apud Blasium  
Viegam ait in græco esse : *ecce equus*  
*viridis.* etsi enim primâ fronte aspi-  
cienti equus ille appareret palli-  
dus, reverâ tamen accuratiùs con-  
templanti viridis erat. & quis un-  
quam vidit viridem equum? nimi-  
rum latet mysterium, quod enucle-  
at Lanuza hom. 31. §. 9. quamvis vi-  
deatur propria mortis sedes esse Se-  
nex pallidus, rugosus, exesus; fre-  
quentior tamen est adolescens in vi-  
rore ætatis suæ, quia vicinior sem-  
per morti est juvenis, quàm Senex.

Narrat Regum historia lib. 2. c.  
2. v. 18. de Asaële fratre Joab, con-  
fobrinus Davidis, quòd fuerit juve-  
nis tam velox, ut cervis cursu con-  
certârit : *erat Asaël cursu velocissi-*  
*mus, quasi unus de capreis, quæ mo-*  
*rantur in Silvis.* hunc tamen Abner  
in ipso cursu confodit lanceâ, &  
prostratum in via trucidavit, itâ ut  
omnes viatores sisterent. *subsislebant*  
*omnes, qui transibant, interrogantes*  
*sefe mutuo: Hicne est Asaël ille ro-*  
*bustus, ille formosus, ille velox ju-*  
*venis? quid profuit robur & sanitas,*  
*quid decor & gratia, quid agilitas &*  
*celeritas? ecce defunctus!* velociter,  
licet quis currat, multò tamen ve-  
locius mors insequitur, & in ipso  
cursu lanceâ conficiet ac prostra-  
tum abjiciet in via adolescentiæ.  
Quotquot mortuos à Domino ex-  
citatos legimus, juvenes erant, de  
hodierno clarum est Evangelij tes-  
timonium, uti & de puella filia ar-  
chisynagogi, de Lazaro testatur Di-  
vius Epiphanius eum triginta circi-  
ter annorum fuisse (in catalogo  
dogmatum Manichæi) filius reguli  
est mortis faucibus ereptus, dum  
juvenculus erat. Et quæ causa,  
cur mors juvenibus sit propior?  
quia



quia juvenes illam passim terunt viam, per quam venit mors, quænam illa via sit aperuit Sanctus Paulus Rom. 5. v. 12. *per peccatum Mors*, indubitatum autem est juvenes esse ad peccatum proniores, quam sint fenes, ideò sunt & morti propiores.

§. 7.  
Juvenes ad peccandum proniores quam fenes: si verò non peccent, jam non juvenes sed viri vocantur.

*Vicina est lapsibus adolescentia* inquit Sanctus Ambrosius lib. de viduit: tom. 4. *quia variarum æstus cupiditatum fervorem calentis inflamat ætatis*. experto credamus Augustino ferm. 43. de verbis Domini: *acerrima pugna calentis juventutis est: vidimus eam, transivimus per eam*. Similiter Divus Hieronymus ep. 41. ad Ruff. *scitis ipsi lubricum adolescentiæ iter, in quo Ego lapsus sum*. Specificat Sanctus Basilius in c. 3. II. juvenum lapsus: *ad sunt indomitæ, & effrenes concupiscentiæ, belluine iræ, linguæ incontinentiæ, contumeliæ, arrogantia, fastus ex animi elatione, reliquæ item affectiones juventuti vernaculæ*. Quibus qui in prima ætate obnoxius non est, non adolescens sed vir appellatur: exemplo est Joseph, quem Putipharis uxor ita sollicitabat ad flagitium, ut dicat Scriptura: *mulier erat molesta adolescenti* Gen. 39. v. 10. at quia spectatis Dei oculis consentire in scelus noluit, non adolescens ab ipsa lupa, sed vir vocatur: *vocavit ad se homines domus sue, & ait ad eos: en introduxit virum hebræum*. vocantur domestici homines Josephus autem *Vir*, quo nomine ab ipso Davide insignitur ps. 104. v. 17. *Misit ante eos Virum*, cum tamen juvenulus fuerit, tunc quando à fratribus venditus est, eò quod moribus fratrum totus esset dissimilis, licet ætate minimus, vir tamen præ fratribus cunctis.

§. 8.  
Peccatum stimulu mortis.

At verò prodigus ille paternæ decoctor substantiæ non modo juvenis, sed *adolescentior*, Luc. 15. v. 12. vocatur, quo nomine satis ha-

buit Christus exprimere omnes ipsius petulantias, insolentias, turpitudines, flagitia. quo quis petulantior, eò est *adolescentior*, adeoque morti vicinior. Ponamus equum per se velocissimum, si tamen eidem addantur alæ, figantur calcaria, an non obices transiliet, & ardua quæque superabit? *festinat mors* Eccl. 38. equo omni celerior, cui stimulos insuper addit juvenis: *stimulus mortis peccatū est* I. Cor. 15. v. 56. non sunt stimuli mortis flagella stellata, quibus se quotidie cecidit sanctus Vincētius Ferrerius, & vitam ad septuagesimum quintum annum protraxit; non sunt jejunia, quibus Sanctus Hilarion quinque ficibus quotidie contentus vitam ad octogesimum, amplius annum, Paulus verò primus ad centesimum decimum tertium protraxit; non sunt nocturnæ vigiliæ, in quibus Sanctus Hieronymus vixit, ad nonagesimum nonum annum; non sunt humi-cubationes, in quibus Antonius factus est centenarius; non sunt perpetua cilicia & pœnitentiæ, in quibus Chamaldulensium fundator Romualdus centesimum & vigesimum annum numeravit. *stimulus mortis peccatum*, hoc cogit properare, mortem alioquin tam citò non accessuram.

Prædicator Noë audivit Deum resolutum: *non permanebit Spiritus meus (anima & vita) in homine in æternum* (hoc est diu, ut longam trahat ætatem) *quia caro est* Gen. 6. v. 3. licet autem hoc statuerit Deus secundum rigorem justitiæ, recordatus tamen suæ misericordiæ addit: *erunt dies illius centum viginti annorum*, quod quidem non intelligi debere de tempore totius vitæ, cum post diluvium vixerit, nepos Noë Arphaxad centum triginta octo annos, Sale ejus filius quadringentos triginta tres annos, Heber hujus filius



tus quadringentos sexaginta quatuor annos. Sed de spatio pœnitentiæ ante diluuium indulto censent Sancti Hieronymus, & Augustinus. *habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam* inquit homil. 22. in Gen. Orator aureus; nihilominus hoc ipsum tempus decurtatum fuit, siquidem diluuium venit anno centesimo. nimirum licet mors tardigrado vecta equo, non nisi passu ordinario venisset; intra centum viginti annos adfuisset, stimulos tamen peccatores addiderunt, ut ipsa viginti annos uno impetu transilierit. audi Hieronymum: *quia pœnitentiam agere neglexerunt viginti annorum spatij amputatis anno centesimo venit diluuium.*

Perstringit hanc præpoperae mortis causam sapientissimus Salomon ita monens: *noli esse stultus multum; nè moriaris in tempore non tuo*, parum stultescere transeat, sed multum stultescere, non tantum nocte unâ plateas perambulare, sed quot noctibus armatum incedere, hos turbare, illos invadere, multum est stultescere; & hæc te stultitia mori faciet tempore non tuo. Finge captivum acceptâ sententiâ ut post mensem longa sit litera, graviora mox patrare scelera, lapillos in transeuntem Regem jacere, imò sclopetum exonerare, an non accelerabit constitutum supplicio diem? damnatus es ò adolescens tuo in capite, qui est Adam, ad mortem, estque à supremo iudice tibi dicta dies, quâ de carcere ad arenam imò cinerem erit prodeundum, quod si verò novâ actus infaniâ sceleribus veteribus nova adficias, an non mereris latæ accelerationem sententiæ? Sanctus Ber-

nardus in declamat, ad Cvil. Ab. & Sanctus Gregorius 4. Mora. 17. quaestionem ingenuosam movent, cur mors corporalis respectu spiritualis vocetur *umbra*? juxta id: *si ambulavero in medio umbræ mortis* respondet: *umbra corpus sequitur, mors corporis, mortem animæ. quàm primum corpus peccati intravit mundum, mors unâ introijt, & eodem pede cucurrit.* Quare quam chara nobis vita, tam cordi sit vitandi cura peccati. *Morietur in tempestate* ait de peccatore Job. c. 36. v. 14. Septuaginta vertit: *morietur in juventute.* tempestas est juven-tus, derepente involvit hominem turbine calamitatis, terret coruscatione fulguris, ferit fulmine mortis. Sed qui feriri non vult, non sit moribus juvenis, alioquin paullò post dicetur: *ecce defunctus.*

O Adolescentes vitæ, salutis, cælorumque prodigi! ò miseri nec miserandi! quæ vos dementia, quæ nunquam fatis deploranda cæcitas in vestram vos præcipitat ruinam? quid vernantis florem ætatis Libitinæ manibus ultrò decerpendum porrigitis? quid spes patriæ, expectationes majorum, solatia parentum in herba succidi gaudetis? cur festino, lubricoque ad tartara pede properatis? fatis citò eo pervenietis, unde revocare gradum non libebit, imò eo non pervenietis, si superato fervidæ ætatis æstu semitam virtutis terere inq; meliora vos tempora servare libebit.

\* \* \*  
\* \* \*  
\* \* \*

§. 8.  
Mors  
cur umbra  
vocetur.

PHI-